

Negationes in Deo non defectum significant, sed excessum.

MARSILIVS.

Plocinus etiam Deo intellectuales actiones sensualesque negauisset, tanquam diuina dignitate inferiores dabitauit ac consequenter intelligibilia sensibiliaque, Deum forte latere. Respondetur & hic, & ibi, hæc omnia esse Deo certa, modo quodam sensum & intelligentiam excedente. Quemadmodum rationi perfectæ nota sunt eadem, quæ & oculo per modum superiorum quam per uisum.

DIONYSIVS.

Diuinam quidem sapientiam ipsius, uniuersæque sapientie, & intelligentiæ, omnis rationisque & sensus cuiuslibet principium, & causam, institutorumque, & perfectionem, & conseruationem atque terminum, supra diximus. Verum quoniam pacto Deus ipse sapientia uniuersa superior, celebratur, tanquam sapientia, & intellectus, et ratio atque cognitor. Quo enim modo intelligibile quequã intelligit, cum intellectuales non habeat actiones? At ut quomodo percipiet sensibilia, qui sensus uniuersis fines excedit? Scire tamen illum omnia, nihilque diuinam cognitionem effugere, facta testantur eloquia. Ceterum quod sepe iam monui diuina mysteria ut Deum decet accipienda sunt. Sic itaque intelligentiæ sensusque uacatio non defectum in Deo significat, sed excessum, quemadmodum & irrationale ipsi quod super rationem est, adhibemus, & imperfectionem ei quod supra pars & ante perfectionem extat, & intangibilem inuisibilemque caliginem inaccessibili luci, qua uidelicet ratione utilisibile lumen exuperat.

Diuina cognitio res creatas, ideasque antecedit.

DIONYSIVS.

Diuina certitudo, per quam sibi certa sunt omnia, & si saepe intelligentiã nominatur, est tamen toto genere uel perfectissimæ intelligentiæ longe superior. Cognoscit uero cuncta per unicum intuitum unice suæ formæ quæ efficit omnia pariter & demonstrat. Quam cum primum intus insepexit, relatione quadam distribuit in ideas rerum inde procreandarum, adeo ut prima Dei cognitio non solum res iam creatas, sed adhuc esse creandas, imò & ipsas creandarum ideas mirabiliter antecedat. Angelica uero cognitio ideas quidem sequitur, sed res antecedit, humana communiter utrasque sequitur. Ideas quidem comparantur ad Deum sicut ad lucem radij, uel splendores, cætera uero sicut umbræ. Deus igitur per unicam lucem suã cognoscit, concipitque ideas, per has reliqua uelut umbras, perinde atque si Sol per lucem suam radios circumiacios conuerteret, per radios umbras ex opposito resulantem.

DIONYSIVS.

Diuinus igitur intellectus, omnia continet, cunctis eminente cognitione per ipsam omnium causam in seipso intelligentiam omnium anticipans. Priusquam angeli fierent cognoscens angelos atque producens, ceteraque omnia ex intimis suis, ab ipsisque, ut ita loquar, exordio noscens, ad essentiamque perducens. Idque arbitror sacræ eloquiũ significare dicens, quia omnia nouit antequam fierent. Intellectus enim diuinus non res ipsas nouit ex ipsis, sed ex seipso atque in se per causam, omnium notitiam & cognitionem, essentiamque anticipat & excellenti ratione comprehendit, non distractus in singula, sed per unam causæ comprehensionem omnia sciens atque continens. Quemadmodum & lumen per causam in se ipso notitiã tenebrarum anticipat non aliunde tenebras, præterquam ex propria claritate cognoscens.

Deus per unicam sui formam actu simplici cuncta facit, atque cognoscit.

MARSILIVS.

Quemadmodum Sol per lucem suam unicam, simplicemque omnia sensibilia facit atque declarat, ita Deus per unicam sui, simplicissimamque formam ceterorum causam cuncta facit pariter & cognoscit. Cum igitur diuina cognitio non à rebus cognoscendis dependeat, modum accipiat, sed ex unica sui formæ merito & intuitu quodã immobili mobilis, immaterialis materialia, in diuino diuina, unico multa cognoscit, sicut & efficit. Sicut, igitur angeli non per sensum sensibilia, sed per intellectum certant. Ita Deus, intelligibilia simul &